

157.

Schiffen.

157.



V

0011

(alt Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften Theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



EXERCITATIO PHILOSOPHICA
DE
PRUDENTIA

Q V A M
D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO
ANDREÆ FRÖLINGII
OPT. ART. ET PHILOS. MAG.
LOGICES PROFESSORIS
ORDINARII

IN ILLVSTRI IVLIA

*Exercitij gratia publicæ disquisitioni
exponet*

JOHAN CONRAD LUBBREN
HAMELENSIS
A. & R.

IN MAIORI NOVI IVLEI AVDITORIO
Addiem Octobris.



HELMESTADII,
Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI

Anno cl^o l^o cLIX.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA
DE
PRUDENTIA

D. O. M. A.
ANDREAE FROELINGII
OCT. ART. ET PHILOS. MAG.
LOGICES PROFERENTIS

ORDINARIJ
IN UNIVERSITATE
HAMBURGENSIS
JOHANNI CONRAD LUBBEREN

HAMBURGI
MDCCLXXII

IN MARIENBURGO
APUD
HERRMANNUM
PUBLICE





Σὺν ὀσῶ.

T H E S I S I.

UNiuscujusque rei perfectio consistit in munere & functione aliqua, & quidem tali, quæ cuique propria sit & peculiaris à propriis ejus potentiis procedens. Vid. Aristot. lib. I. Eth. cap. 7.

II. Cum itaque cæterarum rerum seu artificialium seu naturalium omnium proprium aliquod opus & munus sit, in quò earum bonitas est & perfectio; meridianâ luce clarius est, etiam hominis esse quandam peculiarem & propriam functionem, in quâ sit ejus bene vivere, uti Idem cit. loc. ait.

III. Quia autem homo constat ex duabus partibus, corpore & animâ, sciendum est illam functionem ei competere non corporis sed animæ ratione: cujus cum iterum alia facultas sit vegetativa, alia sentiens, alia rationalis; & quidem hæc iterum vel per essentiam talis vel per participationem, porro notari meretur, eandem non esse querendam in vegetativâ, quia hæc homini communis est cum plantis: nec in sentiente, quia hæc etiam brutis inest; sed in rationali, sive talis sit per essentiam, quæ nempe rationem ipsa habet; sive per participationem, quæ ipsa quidem per se rationis experta est, ei tamen uti refragari, sic etiam obedire potest. Hæc vocatur Appetitus, illa Intellectus.

IV. Cæterum hæc potentiæ, cum suapte naturâ functiones suas perfectè non exsequantur, habitibus indigent,

quibus adjuventur, qui iidem, cum laudabiles sint, Virtutes appellatur. Hinc nimirum vulgaris illa virtutum in duo genera divisio resultat & originem suam nanciscitur, quâ unum genus constituitur earum, quæ intellectum perficiunt, & ad munera sua obeunda idoneum reddunt, dianoëticae seu intellectuales aliàs dictæ. Alterum earum, quæ appetitum perficiunt, & ἠθικὰ seu morales adpellantur.

V. Nos hâc quidem vice valere iussis moralibus virtutibus, paucissimis etiam intellectualium naturâ in genere delibatâ, unam earum Prudentiam paulo distinctius considerare animuni induximus.

VI. Atque initio virtutes intellectuales in intellectu sitas esse eumque ad exsequendum opus suum, quod est veritatis exquisitio, idoneum reddere ipsum nominis etymon indicat.

VII. Cum vero intellectus hoc suum *διεὸν ἔργον* ob varia & naturâ genereque toto diversa objecta, quæ cognoscenda sunt, uno modo exsequi nequeat: hinc, uti res illæ cognoscendæ vel sunt ita comparatæ, ut per nos aliter se habere nequeant; vel fieri à nobis & non fieri, aut aliter atque aliter, nostro arbitrato possunt; Intellectus vulgo duæ facultates constituuntur, una *ὑψηλομένη*, quâ prioris generis entia contemplatur, altera *λογιστική*, quæ etiam, quia actionum principium est, *πρακτική* dicitur, quâ posterioris classis res considerat.

IX. Atque inde etiam porro patet, habitus, qui circa eas partes informandas occupantur, non unius esse generis; Plane enim alij sunt habitus, qui in nudâ speculatione adquiescunt, ab illis qui præter cognitionem etiam operationem aliquam intendunt.

IX. Adeoque notandum, quod, cum contemplatio

tio

tio vel versetur in primis principiis, quorum habitus *ἰσῆ* seu Intellectus dicitur; vel in his, quæ ex primis illis principiis efficiuntur, seu deducuntur, quorum habitus est Scientia; vel in utrisque simul, & dicitur Sapientia, Intellectui speculativo seu facultati *ἁπιστημονικῆ* assignati sunt tres dicti habitus.

X. Porro, cum Operatio etiam vel sit actio vel effectio, actionem dirigit Prudentia, quæ recta ratio agibilium; effectionem vero Ars, quæ *ποίητων* recta ratio appellatur.

XI. Ut ita quinque sit habitus mentis, quibus ipsa adfirmando vel negando verum pronunciat; Scientia, Intellectus, Sapientia, Prudentia & Ars, quæ & objectis & aliis nominibus à se invicem distinguuntur.

XII. Ac primo quidem Scientia, etsi diversas significationes habeat, hoc tamen loco nihil aliud est, quam habitus mentis, quò conclusio ex certis & necessariis principiis colligitur, seu quò de aliquò adfectio per causam demonstratur. Adeoque accuratè loquendo Scientia non est, nisi de necessariis & æternis, acquiriturque disciplinâ & doctrinâ. Sed de hac plura vid. ap. Aristot. lib. 6. Eth. cap. 3. & lib. post. analyt.

XIII. Ars definiri potest, quod sit habitus cum verâ & rectâ ratione opus aliquod efficiens, sive, ut definit Aristoteles lib. 6. Eth. c. 4. *Τέχνη ἔστιν ἐξίς μετὰ λόγῳ ἀληθῆς ποιητικῆ*, est habitus cum verâ ratione effectivus.

XIV. Versatur autem Ars circa contingentia seu talia, quæ mutari, & aliter atque aliter fieri atque habere se possunt, & differt à reliquis mentis habitibus præcipuè objecto & fine. Scientia enim, Sapientia & Intellectus ut habitus partis *ἁπιστημονικῆς* habent objectum necessarium & immutabile, & referuntur ad cognitionem & contem-

plationem rerum. Ars vero, uti dictum, versatur circa
contingentia, & refertur ad effectiorem alicujus operis.
Cum Prudentiâ autem convenit quidem Ars ratione ob-
jecti, sed sine differt: cum illius finis sit *πρᾶξις* seu Actio,
hujus autem *ποιήσις* seu Effectio.

XV. Sequitur Intelligentia seu Intellectus, qui est
habitus, quô principia cognoscimus. Cum enim princi-
pia inter ea, quæ sub notitiam nostram cadunt, non tan-
tum notissima sint, atque adeo vulgo innata nobis esse cre-
dantur, verum etiam certissima esse debeant, omnino
eorum quoque habitum aliquem dari oportet, quô co-
gnoscantur, ne reliqua inde pendens cognitio vacillet.

XVI. Quartus mentis habitus est Sapientia, quæ
definitur, quod sit habitus ex scientiâ non quidem quâ i-
bet, sed rerum naturâ præstantissimarum, & intellectu
compositus, adeoque non tantum conclusiones seu ea,
quæ ex principiis deducuntur, cognoscat, sed etiam circa
principia ipsa verum dicat.

XVII. Verum de istis hâc vice prolixius agere nec
animus est, nec instituti nostri ratio patitur. Restat unica
Prudentia, quæ Platoni lib. 3. de LL. rectissimè *ἡγεμονία*
συντάξις ἀρετῆς Dux & princeps omnis virtutis, & à Py-
thagoræis *Oculus & Mater omnium virtutum* dicitur; cuius
quidem naturam & constitutionem aliquanto fusius per-
currere & contemplari libet.

XVIII. Huius igitur ope fit, ut homines non tantum ad
presentia se accommodent, nihili curantes præterita aut futu-
ra, sed ut etiam consequentia cernant, principia & causas re-
rum videant, earumque progressus non ignorent & rebus præ-
sentibus adiungant futuras, adeoque facile totius vitæ cursum
videant ad eamq; degendam præparent res necessarias, uti
non minus vere quam eleganter loquitur eloquentiæ Ro-
manæ parens Officiorum libro primo. XIX.

XIX. Imo hoc non tantum fit beneficio Prudentiæ, sed ipsa hæc est Prudentia; optimè callere & prævidere, quid ad vitam bene beatèque transigendam expediat & non tantum de præsentibus judicare ex præteritis, verum etiam ex præsentibus conjecturam facere de futuris, Aristot. lib. 6. Eth. cap. 7.

XX. Hinc est, quod olim Anaxagoram, Thaletem, aliosque non prudentes vocaverint, sed sapientes. Et si enim eos excellentia, admiranda, divina & cognitu difficilia scire judicarent, tamen, cum, quæ utilia sibi essent, & ad hanc vitam degendam expedirent, ignorare eos existimarent, Prudentum nomen illis minimè competere putarunt, teste Aristot. lib. 6. Eth. cap. 7.

XXI. Cæterum, ne extra oleas, quod ajunt, vagari, & tantum de laudibus hujus virtutis proferendis solliciti esse videamur, propius ad rem accedamus, & quâ in re consistat Prudentia, quid sit & alia ad ejus naturam eò melius investigandam facientia quæramus, adducamus & perpendamus.

XXII. Ubi initio id notandum est; bifariam accipi vocem Prudentiæ: Uno quidem modo denotat in genere facultatem prospiciendi de ijs, quæ ad vitam traducendam & sustentandam pertinent, & hæc aliàs naturalis Prudentia vocatur. Altero autem modo per Prudentiæ vocabulum significatur virtus mentis, quæ mores & vitam rectè informat & instruit seu per quam rectè consulitur hominibus circa ea, quæ ad hanc vitam commodè degendam & ad civilem societatem conservandam sunt utilia, & hæc dici solet Humana Prudentia.

XXIII. Priori acceptione etiam è bestiis nonnullas prudentes esse inquirunt, quæcunque in vitâ suâ eximiam quandam providendi vim habere videntur, uti iterum

Ari-

Aristot. lib. 6. Eth. c. 7. Verum, cum nimis lata atque etiam impropria sit illa acceptio, nos eâ relictâ alteram tantum attendemus & secundum eam in nostrâ *πραγματεία* de prudentiâ agemus.

XXIV. Hoc igitur in sensu rectissimè definitur à Philosopho, quod sit habitus mentis, cum rectâ ratione consultandi & agendi ea, quæ homini bona sunt & mala per universam vitam, lib. 6. Eth. c. 5.

XXV. Prudentes enim illi appellari consueverunt, qui rectè possunt consultare & deliberare de ijs, quæ cum sibi, tum aliis ad universam beatam vitam bona sunt & utilia, sive, quæ ad universam bene rectèque vivendi rationem pertinent. d. 1.

XXVI. Unde apparet i. non mereri nomen Prudentiæ, sed versutiam ac astutiam meram esse, quicquid vel rectæ rationi non congruit, vel, licet aliàs speciem præclari boni habeat, tamen ad virtutem & honestatem non tendit. *Prudentia enim cum iniustitia coniuncta Calliditas potius, quam Prudentia est nominanda*, ait præclare Cicero in Offic.

XXVII. Deinde multò minus illi vocari debent Prudentes,

*quicumque loquuntur
Ore aliud tacitoq, aliud sub pectore condunt.*

Tantum enim abest, ut hi Prudentiam possidere dici queant, ut etiam nullâ capitaliori peste & vitæ pernicie præditi esse possint. Verum res suas sibi habere iussâ hâc falsò dictâ prudentiâ redeamus unde abijmus.

XXVIII. Versatur Prudentia vera circa τὰ *πραττα*, sive ea, quæ agi debent, hoc est, quæ rationem honesti vel inhonesti habent, & aliàs dicuntur *Actiones morales*, à quibus aliquis moraliter bonus vel malus nuncupatur.
Unde

Unde autem bonitatem vel malitiam suam accipiant hæ actiones, alibi docetur.

XXIX. Cum vero *πραγμα* dupliciter considerari possint; 1. in universali. 2. in particulari: geminâ etiam illâ ratione circa eadem Prudentia occupatur. Id quod Aristoteles expressè adserit lib. 6. Eth. c. 7. his verbis: *Non est universalium tantum prudentia, sed opus est, ut singula etiam cognoscat. Est enim activa. At actio circa particularia versatur.* Et priore quidem respectu Scientia vocari potest; imò, ceu ibidem docet Philosophus, *idem habitus est cum scientia civili, essentia tamen ipsis eadem non est.* Unde & hoc porro manifestum est, doctrinâ & ratiocinationem comparari.

XXX. Sub posteriori ratione accommodatius fortassis & significantius Prudentia dicetur: atque ita comparatur præcipuè experienciâ rerum singularium, quæ de similibus aut dissimilibus casibus similiter aut dissimiliter judicare docet. Hæc autem desumenda est ex quotidianâ vitâ & hominum conversatione & ex privatis actionibus; Circa has enim, qui diu & bene sunt versati, illi deinde còmodius tam publica, quam privata negotia administrare possunt. Hinc liquidò apparet, quare Aristoteles lib. 6. Eth. cap. 8. dicat, *quod iuvenes vix possint esse prudentes*: quia nempe etiam particularium est prudentia, quæ experienciâ nobis innotescunt, *Iuvenes* autem, uti lib. 1. Eth. c. 3. loquitur, *expertes sunt actionum vite*, h. e. destituuntur experienciâ rerum singularium, quoniam illa non comparatur, nisi longo tempore & multo usu, quem iuvenes propter aetatem habere nondum possunt.

XXXI. Interim tamen experientiæ defectum sarcire & explere potest doctrina Seniorum & Prudentium virorum; horum enim dictis & consilijs non minus cre-

B

den-

dendum est quam ipsis demonstrationibus, etiamsi nullas
adferant rationes aut demonstrationes. Aristot. lib. 6. Eth.
cap. 12;

XXXII. Eadem contra corrumpitur seu amittitur
potissimum per pravos affectus, quibus tollitur rectitudo
adpetitus, quæ consistit in eo, ut rationem audiat, eique
obtemperet. Sublatâ enim rectitudine adpetitus per con-
sequens etiam tollitur Prudentia.

XXXIII. Laborandum porro nobis jam est de Di-
visione Prudentiæ. Ea vero rectè desumitur ex varietate
ipsius objecti; Vel nimirum versatur circa bonum ope-
rantis proprium, vel circa bonum commune, atque ad eò
etiam alios respicit. Quando unius est erga se, communi
nomine vocatur Prudentia Ethica, vel etiam Prudentia
simpliciter; Et per hanc homo in privatis & propriis suis
rebus sibi potest consulere & prospicere de ijs, quæ ad sui
convenientem institutionem pertinent. Quando vero
versatur circa commune bonum & alios respicit, tum vo-
catur communis; & vel respicit eos, quatenus in unâ ali-
quâ domo seu societate domesticâ vivunt, vel prout in ci-
vitate seu civili societate. Prior Domestica seu Oecon-
mica, posterior Civilis seu Politica dicitur. Domestica
est, quando quis domui vel familiæ suæ rectè potest præf-
se & consulere de rebus necessariis. lib. 6. Eth. cap. 8.

XXXIV. Civilis universam civitatem, ejusque u-
tilitatem respicit, & dividitur rursus in νομοθετικὴν seu Le-
gislatoriam & Πολιτικὴν specialiter ita dictam. Legisla-
toria regit totam remp. & est facultas ferendarum & ex-
plicandarum legum, quando quis rectè potest prospice-
re, quænam leges convenient huic vel illi reip. easque
dextrè interpretari. Aristoteles eam vocat cit. loc. ἀρχι-
τεκτονική, quia præsidet alijs partibus Prudentiæ, & Archi-
τεκτονική

recturæ locum obtinet, dum tanquam Regina ad clavum
reip. sedens per leges præcipit. omnibus alijs facultati-
bus, quæ ad gerendam conservandamque remp. faciunt.
Boni enim Legumlatoris officium est in ferendis legibus
totum Reip. corpus & communem omnium civium salu-
tem spectare.

XXXV. Altera civilis Prudentiæ species versatur
circa singulas actiones & res in rep. agendas, & cum ali-
ud nomen non habeat, sumit nomen generis & vocatur
Prudentia politica seu civilis. Quamvis enim negari non
possit, eam potius solam & verè mereri nomen politicæ
prudentiæ, quæ remp. legibus convenientibus instruit
(majus enim quid est constituere & ordinare remp. quàm
eam administrare) tamen, uti vulgo artifices creduntur
esse, quorum operâ architectus utitur, cum tamen artis
habitus magis sit in dirigente eorum operas, ita partim ex
multitudinis ignorantia, quæ putat illos solos civiles esse,
qui in singulis actionibus & judiciis versantur, partim,
quod administratio reip. magis in sensus & oculos homi-
num incurrat, facultas seu prudentia ea, cujus ope illa gu-
bernatio perficitur, nomen hoc sortita est.

XXXVI. Porro Politica prudentia, secundum
quam resp. juxta leges administratur, iterum duplex est:
alia est deliberativa seu consultativa; alia judicialis.
Consultativa est facultas deliberandi de medijs ad com-
mune bonum promovendum facientibus, ut & de nego-
tijs & rebus futuris, quid de illis sit statuendum. Judicialis
est facultas de negotijs & rebus præteritis judicandi,
quid in illis sit justum vel injustum, quid pœnam vel præ-
mium mereatur. Hæc judicum, illa senatorum propria
est, & propterea etiam Senatoria alio nomine vocatur.

XXXVII. Hæ recensentur à Philosopho species
157 **B 2** pru-

prudentiæ. Verum, an ea rectè se habeant, dubium cui-
piam sit. Diximus Prudentiæ esse de illis prospicere, quæ
homini bona sunt; Quotcunque itaque jam sunt bona,
quæ homini possunt parari, tot videntur esse species pru-
dentiæ. Annon autem plura bona dantur, quæ hic sublu-
mi possunt, quàm, de quibus agunt recensitæ species? An-
non magnum bonum est, victoriam bellanti reip, pro-
curare? Annon magnum bonum est eloquentiâ suâ alteri
persuadere posse, ut hanc actionem exercent, illam fugi-
at? Videtur itaque addi posse prudentiâ militaris, orato-
ria, & plures. Verum patet, quare Aristoteles has vel si-
miles non addiderit; vidit nempe eas ita non esse compa-
ratas, ut peculiâres species constituere possint, sed omnes,
qualescunque etiam sint, optimè ad enumeratas species
referri posse.

XXXVIII. Postquam ita breviter enarravimus
species prudentiæ, operæ pretium nos facturos censemus,
si circa singulas, num quid notandum forte supersit, di-
spiciamus. Ubi statim à Nomotheticâ incipientibus no-
bis occurrit, quod ad eam pertineat universa tractatio de
jure & legibus, non quidem in specie, prout ijs una ali-
qua vel altera resp. regatur, sed in genere, prout respec-
tum habent ad universum genus humanum; adeoque hic
potius spectatur, quales esse debeant leges, quàm quales
sint.

XXXIX. Hæc doctrina ex intimâ Philosophiâ hau-
rirî debet, neque putandum eam tantùm ad ICtum, non
vero ad Philosophum pertinere. Longè aliter enim de
legibus agit Philosophus, longè aliter ICtus: quod vel
ex unico hoc liquet, quod ICtus, quat. talis, non ferat le-
ges sed latas tantum interpreteretur, neque inquirat, num
lex bene & utiliter condita sit, an secus; sed sufficiat ei hoc
vel

vel illo modo legem scriptam esse: Philosophi autem est primam legum originem ostendere, leges civiles ad legem naturæ reducere & rationem condendarum legum adferre, adeoque tam de condendis iis, quam cuique formæ reip. aptandis disquirere.

XL. Verum, quicquid sit de alijs disciplinis, quæ etiam agunt de legibus, nos ea tantum, quæ ad institutum nostrum faciunt, adferre conabimur: inter quæ primum certè est dispicere, quid lex sit. Cum itaque vocabulum legis potissimum sumatur duobus modis: 1. generaliter pro omni præcepto, quo imperatur vel vetatur aliquid in vitâ, seu justè id fiat seu injustè. 2. specialiter pro recto tantum præcepto, quod ea præscribit, quæ iusta sunt, & ex communi publicoque usu: nobis hæc in parte cum B. Horneio l. 4. Phil. Mor. cap. 3. §. 9. à multis magnisque viris discedente, placet dicere primam potius quam secundam acceptionem huc quadrare. Non enim hic tantum de bonis legibus agitur sed etiam de malis seu de lege in genere ac universim sumitâ.

XLi. Porro lex etiam sumitur vel pro ordine, quò tota rerum universitas regitur ab eius creatore & conservatore, atque sic tam animata quam inanimata completitur; vel sumitur pro tali ordine, secundum quem solæ actiones humanæ diriguntur & gubernantur. Nos priori acceptione missâ posteriorem retinemus.

XLii. His ita suppositis definienda erit lex. Cum vero variæ variorum circumferantur definitiones vel descriptiones, in quibus tamen multa desiderari posse videntur, nos ijs, quæ nihil ad rhombum faciunt, missis eam retinemus, quam B. Horn. adfert l. cit. §. 13. quod videlicet *Lex sit decretum seu Dei, seu eius, penes quem maiestas est in rep. vel natura ipsi impressum vel sufficienter aliàs*

sancitum & constitutum, iuxta quod vivatur ita, ut vel simpliciter expedit, & pium ac honestum est, vel expedit huic saltem aut illi Reip.

XLIII. *Decretum* vocavit legem, quia, ut Autor citat, ipse rationem reddit, *lex habere debet vim cogentem & necessitatem parendi imponere ei, cui præscribitur: & præterea etiam ideo, ut intelligatur in Legislatore concurrere & intellectus & voluntatis actus: quia lex est regula iuxta quam vivitur. Proponere autem regulam ad utramque potentiam pertinet. Quat. enim regula est ad intellectum Legislatoris pertinet; hujus enim est ostendere, quid fieri debeat, & utile sit ad finem consequendum. Quatenus vero secundum eam vivere debent illi, quibus præscribitur, opus voluntatis est in eo, cujus voluntati conformari alterius voluntatem oportet. Reliqua ad explicationem definitionis facientia vid. apud laudatum Aut. cit. l. §. 13. 14. 15. & seqq. Nos pergimus ad Divisionem.*

XLIV. Est autem lex ratione causæ efficientis vel Divina vel Humana. Divina iterum vel est à Deo mentibus hominum inscripta, vel speciali patefactione promulgata. Prior vocatur lex naturæ. Posterior divina, strictè sumto vocabulo divini. Unde vulgo triplicem faciunt legem; Divinam, Naturæ & Humanam. Divinam ad scholas Theologorum remittimus.

XLV. Lex naturalis sive jus naturæ, his enim verbis in hac materiâ promiscue uti solent, à Philosopho lib. 5. Eth. cap. 7. ita describitur: *Jus naturale est, quod ubique gentium eandem vim obtinet, nec ideo valet, quod ita decretum sit vel non decretum.* Tale quid est Deum colere, honestè vivere & similia. Alij alias adferunt definitiones, quas nos, cum hæc rem satis explicet, brevitas studio omittimus.

XLVI

XLVI. Notandum vero primo hic est, posse quædam esse naturalia, nec tamen juris naturæ e. g. ducere uxorem est naturale quid, nec tamen est juris naturæ. Quæ enim præcipit jus naturæ seu quæ sunt juris naturæ, ea sine peccato omitti nequeunt. Deinde, præcepta legis naturæ esse duplicia. Alia enim sunt ipsa communia & indemonstrabilia principia practica, ut honestè esse vivendum &c. Alia sunt conclusiones ex principiis illis deductæ, ut non esse occidendum &c. Et hæc posteriora iterum sunt duplicia. Alia enim sunt talia, ut levi negotio ex primis illis & indemonstrabilibus principiis deduci possint; Alia autem difficilius & fere à doctis tantum, ut v. g. pecuniam eadem bonitate, quâ fuit ea, cum acceperis, esse restituendam, & similia. vid. Horn, d. I.

XLVII. Dicit igitur Philosophus legem naturæ apud omnes homines obtinere, quod verissimum est, præsertim, si illa maximè communia præcepta spectes; alias enim fieri potest, ut quædam gentes propter pravam aliquam consuetudinem tam barbaræ sint, ut, sicuti ipsam naturam hominis exuisse videntur, ita quoque non observent id, quod apud omnes alias observari solet.

XLVIII. Versatur jus naturæ quoad præceptionem circa actiones omnium virtutum, non vero circa omnes earum actiones, quia non omnes actiones virtutum præcipit jus naturæ, sed multæ etiam absque obligatione legis naturæ liberè suscipiuntur. Quoad prohibitionem autem alia ratio est. Etsi enim possit esse actio virtuosa, ad quam agendam non obligeris, nulla tamen esse potest actio vitiosa, ad quam vitandam non obligeris; adeoque quoad prohibitionem versatur circa omnes actiones virtuti contrarias.

XLIX. Quæri hic solet: An jus naturæ sit plane immuta-

mutabile? Videtur hoc negari posse ideo, quia certissimum est e. g. fornicationes esse prohibitas jure naturali, ut & parricidia, ἀνθρωποφονίας, & alia, & tamen illas teste Strabone lib. 8. apud Babylonios, hæc apud alias gentes non fuisse peccata; adeoque apud illas utique mutatum videtur jus naturæ. Verum ad hanc quæstionem aliqui responderi posse existimant hoc modo: Aut loquimur de præceptis maximè communibus juris naturæ, quæ nec possunt desinere recta esse, nec deleri ex mente hominis; aut loquimur de conclusionibus & præceptis particularibus: Illa sunt immutabilia, hæc vero possunt mutari & aliter atque aliter se habere certo respectu, sed per accidens tantum. Sed fortasse rectius dixerimus, jus naturæ omnino immutabile esse atque apud omnes eandem vim habere ratione obligationis; etsi à quibusdam ignoretur violeturque, ac ita ratione cognitionis & observationis quandam mutationem pati videatur.

L. Jam ad jus humanum seu legitimum. *Jus legitimum est, quod ab initio hoc vel illo modo fiat, parum refert, cum vero constitutum est, tum refert.* Aristot. lib. 5. Eth. c. 7. Dicitur hoc jus legitimum, quia per leges introducitur; vocatur aliàs positivum, quia, cum antea non obtineret, de novo ponitur & constituitur. Ratio hujus juris introducendi hæc fuit, quia præcepta juris naturæ commodè observari in vitâ nequeunt, nisi illis particulares aliqua dispositiones addantur. Ita jus naturæ præcipit fures esse puniendos, sed quâ poena sint adficiendi, arbitrariæ constitutioni relinquit. Et hujus tum est præscribere, quomodo quàm rectissimè fiat, quod lex naturæ jubet: quod fit per rationem non quidem necessariò ex jure naturæ dependentem, sed aliàs probabilem.

LI. Jus positivum duplex faciunt: Gentium & Civile.

vile. *Gentium vocant, quod naturalis ratio inter omnes homi-
nes constituit & apud omnes peraequè custoditur. Civile, quod
certa aliqua Resp. peculiare sibi constituit.* §. 1. Inst. de jur. nat.
gent. & civil. Verum, si definitiones Aristotelicæ supra
allatæ inspiciantur, jus gentium optimè referrî potest ad
jus naturale. Civile vero hic aliter sumimus, quam Ari-
stot. dicto loco. Ille enim jus civile vocat omne id, quò
civitas utitur, & eò comprehendit tam naturale quam po-
sitivum. Nos strictè sumimus vocem civilis, & jus civile
speciem legitimi fecimus.

LII. Materia juris positivi sunt actiones omnium
virtutum & vitiorum, prout vitæ tranquillitatem & qui-
etem vel juvant & promovent, vel eidem impedimento
sunt, non tamen ulterius, quàm, quousque ei, quod jus na-
turæ dicitur justum vel injustum esse, humanâ constitui-
one aliquid addi potest.

LIII. Potest autem illud jus mutari tum respectu
causæ, ob quam introductum fuit, tum respectu homi-
num, quibus fertur. *Respectu causæ* lex humana mutabilis
est, tum, si ratio ejus ferendæ in initio bona visa postea bona
non sit; tum, licet ratio bona sit, tamen postea forte res i-
psa aut necessitas eam non amplius urgeat; utràque enim
de causa iterum abrogari, adeoque mutari potest. *Respe-
ctu hominum*, quibus fertur jus humanum mutari potest,
quat. mores eorum vel in melius vel in deterius vergunt,
adeoque vel duriores vel leniores leges requirunt. Ubi
tamen notandum nunquam nisi gravissimâ de causâ le-
gem esse mutandam. Uti enim subditi, quò magis adsue-
ti sunt legibus his vel illis, eò majori voluptate illis obe-
diunt: ita eò majus malum imminere tali reip. videtur,
in quâ leges vel sæpe vel temere mutantur aut abrogan-
tur.

C

LIV. Hac

LIV. Hæc de Lege tam naturæ, quàm humanâ. Restat, ut videamus, quousque utraque nos obliget; ubi præsupponendum est ad obligationem alicujus legis necessarium esse ut sciamus 1. quos obliget, 2. An & à quo tolli illa obligatio possit. Deinde omnem obligationem in eo consistere, ut voluntas ejus, cui lex lata est, conformetur sancientis voluntati. Quod non ita intelligendum est, ac si subditus semper debeat velle, quod Legislatores vult, sed sufficit, si subditus velit id, quod Legislatores eum velle vult.

L V. His ita se habentibus primum juris naturæ obligationem examinemus. Obligat illud solum hominem, & quæcumque, quando se ratio exserit in eo; Deinde obligat omnes homines, tum Magistratus, quàm subditos. Tertio quæcumque jus naturæ vetat, ad ea fugienda obligat pro omni tempore; quæ vero agenda præscribit, ad ea tantum obligat, quando se offert occasio. Hinc ortum illud Scholasticorum: Præcepta juris negativa obligant semper & ad semper; affirmativa vero præcepta obligant quidem semper, sed non ad semper. Verum hæc posteriores regulæ commodè etiam extendi & prædicari possunt de jure humano.

LVI. Alterum quod attinet, an nimirum & à quò jus naturæ tolli, atque etiam circa id dispensari possit, patet sane à nullo hominum id fieri posse, cum omnes ei subsint, ejusque obligatione teneantur. Num vero à Deo ejus autore possit, non convenit inter Dd. aliis negativam, aliis adfirmativam sententiam amplectentibus. Nos, etsi litem hanc decidere non sustineamus, negativam tamen probabiliorem nobis videri nolumus diffiteri.

LVII. Jus vero humanum non obligat omnes homines, sed tantum eos, qui subsunt potestati ejus, qui jus illud tulit; potestque in hoc jure facile dispensatio fieri;
Qui

qui enim id dedit, pro lubitu iterum tollere potest & ab observantiâ ejus subditos rursus liberare.

LIIII. Tantum de Prudentiâ nomotheticâ seu legislatoriâ. Pergimus ad deliberativam seu senatoriam. Cum enim leges ob nimiam multitudinem & varietatem eorum, quæ in hâc vitâ occurrunt, de omnibus ferri nequeant, & potius id spectent, quod justum est, quàm, quod pro re nata utile sit & expediat ad remp. feliciter administrandam: patet hanc Prudentiæ speciem, quæ de mediis ad commune bonum facientibus rectè consultat, hic etiam insignem præstare operam, adeoque non immeritò de eâ tractari: non quidem, ut ostendatur, quomodo consultatio in hâc vel illâ reip. formâ se habere debeat, sed perinde, uti de legibus hic in genere actum fuit, ita quoque in univèrsum dicatur, quò pacto ea comparata esse debeat.

LIIII. Etsi autem hæc pars prudentiæ cum nomotheticâ magnam ad finitatem habet, tamen non prorsus eadem cum eâ est, sed tum ab eâ, tum à judiciariâ multis modis differt: cum fieri possit, imò sæpissimè fiat, ut quis exactâ legum cognitione teneat ea, quæ ad lites ex præscripto legum dirimendas pertinent, nec tamen quicquam sciat eorum, quæ nunc quidem sunt ex usu reip. De his enim nihil aut parum præcipiunt leges.

LX. Ad horum autem notitiam adipiscendam creduntur necessaria esse tum doctrina moralis & civilis, tum crebra historiarum lectio. De doctrinâ morali manifestum id est. Quomodo enim quis salutare consilium reip. suppeditaverit, qui de virtute & honestate vel non rectè sentit, vel aliàs omnis generis flagitiis immer sus est? Ea certe deliberatio sola est mortalium vitæ salutaris, quæ



substratam habet virtutem & vitæ integritatem. De Po-
liticâ quoque non video, quare dubitari possit, cum is
qui reip. alicui consilia suggerere vult, utique novisse de-
beat omnis generis præcepta ad temp. feliciter admini-
strandam facientia. Historia autem idè hic requiritur,
quia *historia cognitio est quasi anima politica*, & , uti Poly-
bius ait, *verissima institutio & preparatio ad actiones politi-
cas*. Unde Dionysio Halicarnass. etiam ἀρχὴ φρονήσεως
τε καὶ σοφίας, principium prudentiæ sapientiæque dicitur.

LXI. Hæc breviter etiam de Prudentia Consulta-
toriâ. Restat judiciaria, quæ idè additur, quia non tan-
tum sufficit ad reip. salutem consultare, quomodo hoc vel
illud fieri debeat, & leges ferre, secundum quas ea admi-
nistretur, sed requiritur insuper, ut leges latæ diligentissi-
mè serventur & secundum eas resp. accuratè administre-
tur, seu leges rectè explicando seu lites juxta earum nor-
mam decidendo; quod quidem munus est Prudentiæ ju-
diciariæ.

LXII. Hæc itaque in duo abit membra: Vel enim
consistit in jure secundum leges præscriptas reddendo;
vel consistit in legibus scriptis dextrè & rectè interpretan-
dis, & , sicubi propter universalitatem deficient, in loco
ex æquitate supplendis, & ad singulares casus cautim ac-
commodandis. Prius proprium est Magistratus, Posteri-
us Icti.

LXIII. Ubi tamen notandum est non ita Icti pro-
prium id munus esse, quin alij nonnunquam competere
possit. Nam, si mens & ratio legis fuerit obscurior & am-
bigua, tum recurrendum est ad summam majestatem seu
Principem, ut is dubia in hæc vel illâ lege, in hõc vel illo
casu emergentia solvat. Hic enim, uti condidit legem,
ita

Ita etiam optimus verborum suorum interpres esse poterit.

LXIV. Versatur vero, uti dictum, Prudentia iudicialia etiam circa leges ex æquitate supplendas: quod non intelligendum est, ac si fieri à quovis queat, sed, quod illud tantum facere possit is, qui jurisdictionem habet, seu cui ea potestas a Principe vel alio jurisdictionem habente concessa est. Quid autem sit æquitas, notum est ex lib. 5. Eth. c. 10. Nec enim idem quid est cum iure, quia moderamen aliquod ipsi addit, nec etiam toto genere diversa est ab eo, cum versetur circa ea, in quibus jus & iustitia locum habet. Est autem æquitas correctio quædam legis iudici relicta à Legislatore, cã parte, ubi propter universalitatem deficit.

LXV. Quod autem leges opus habent ejusmodi correctione, id non fit vitio legum aut Legislatoris culpã, sed conditione ipsarum rerum: quæ, cum infinitis modis variant, non possunt adeo certis legibus adstringi, ut non detur casus, cui illæ juxta literam sine iniquitate applicari nequeant. Et, quamvis omnes casus legibus comprehendi possent, tamen ob vitandam confusionem omnes exprimi non deberent, cum sic infinitus legum numerus esset futurus.

LXVI. Hæc itaque sunt, quæ pertinent ad prudentem iudicem; quæ sua munia, ut rectè obire possit, requiritur primò, *ut ius dicat amore iustitiæ*, quia, si secus fiat, iudicium illicò iniustum est. Amor autem iustitiæ in hoc consistit, ut iudicetur sine respectu personarum; Ideo enim iudicatur, ut inæquale redigatur ad æqualitatem, quod fieri non potest, si personæ ratio habeatur, h. e. uni plus tribuatur, quàm merita causa patiuntur. Deinde, *ut*

ad faciat publicâ autoritate, quia sententia iudicis est quasi particularis quædam lex; adeoque vim cogendi habere debet iudex, nisi velit sententiam suam sæpissimè fieri elusoriam. Tertio habere debet sufficientes rationes, quibus moveatur, ut hoc modo potius, quàm illo pronunciet; ad quod necessarium est, tum, ut sciat ipsum jus, secundum quod causam decidere vult, tum ut etiam instructus sit accuratâ cognitione facti, de quò disceptatur. Ad quod iterum requiritur, 1. ut adsit actor, seu talis sit privatus quispiam seu Magistratus ipse. 2. Ut actor factum sufficienter edoceat. 3. Ut reo liceat se defendere seu per semetipsum seu per alium.

LXVII. Verum, cum hæc propriè huc non spectent, sed plenius de ijs agere Icti potius sit, quàm Philosophi, nos missa hæc facimus; adeoque hæc de speciebus, seu dicere malis, partibus Prudentiæ dixisse sufficiat. Redundum nobis est, unde digressi sumus & addenda, quæ adhuc ad pleniorẽ prudentiæ in genere consideratæ intelligentiam requiri videbuntur.

LXVIII. Oportet igitur novisse, quod Prudentiæ adjungantur aliæ quædam virtutes seu facultates, quæ quidem non sunt ipsa Prudentia, sine quibus tamen Prudentia non potest esse, saltem non perfecta, omnibusque suis numeris absoluta. Sunt autem hæc: *εὐβουλία*, *σύνεσις* & *γνώμη*, quibus tandem Aristoteles addit *δεινότης* seu naturalem solertiam.

LXIX. *εὐβουλία* ergo definitur ab Aristotele, quod nihil aliud sit, quàm rectitudo consilij, per quam justo tempore finem bonum honestis & convenientibus mediis in agendo consequi possumus. Dicit eam esse rectitudinem consilij, quia bene consultare est rectè consultare, & è

& è contrario malè consultare est errare in consultando.
lib. 6. Eth. c. 9.

LXX. Ad inveniendum vero hoc genus bonæ consultationis progreditur Philosophus per quadripartitam ἀφαίρεσιν seu remotionem eorum, quæ aliàs videri queant illud constituere posse; & sunt: ἐπιστήμη, scientia, εὐσυχία, bona conjectatio, ἀγχινοία, mentis sagacitas, δόξα, opinio.

LXXI. Quod genus βουλίας non sit scientia, probat duplici ratione: 1. quia consultare est querere consilium, adeoque consultatio consistit in inquisitione, per quam de re proposita quarimus & in utramque partem deliberamus; scientia vero minimè est in inquisitione; quod enim quis scit, de eo non amplius quarit. 2. hoc modo in scientiam caderet error, qui tali rectificatione opus haberet, quod absurdum.

LXXII. Sed neque εὐσυχία est genus βουλίας, quia consultatio nec fit subito, nec sine ratione. Viri enim Prudentes diu consultant & considerant, donec consilium arripiant & properent ad actionem: εὐσυχία vero est facultas, quâ mens statim absque longiore ratiocinatione intelligit, quid in re quâpiam verum vel falsum, bonum vel malum sit, seu quâ quis statim & ex tempore ad quaestionem aliquam rectè respondere potest; adeoque fit absque ratione & celeriter.

LXXIII. Tertio, quod non sit ἀγχινοία probatur eadem ratione; ἀγχινοία nempe est quidem alicujus medi inventio, sed subita. Porro δόξα non est, tum, quia opinionis rectitudo veritatem, consultationis autem rectitudo actionem respicit; de rebus enim agendis omnis suscipitur consultatio; tum, quia opinio non est inquisitione
tio

tio alicujus rei, uti supra dictum est esse consultationem, sed certa enunciatio.

LXXIV. Manet ergo genus *εὐβουλίας* esse rectitudinem consilii. Sed non omnis tamen recta consultatio seu rectitudo consilii est *εὐβουλία*, quod inde perspici potest, quia rectam consultationem interdum mali quid consequitur seu malum finem habet, ut v. g. quando adulter ratiocinatur, quomodo clanculum possit accedere ad adulteram, & invenit medium, per quod finem suum consequitur, consultatio recta est, sed conjuncta cum malo fine: *αβουλία* vero semper habet bonum finem. Videndum itaque erit, quot modis dicatur rectum consilium, & quæ ejus significatio huc quadret.

LXXV. Dicitur autem quatuor modis: I. rectum consilium dicitur, per quod quis finem seu propositum suum consequitur, etiam si illud sit malum, ut in allato exemplo. Et tale consilium non est bonum consilium. Secundò rectum consilium dicitur, ubi finis quidem bonus est, quem adipisci volumus, sed media inhonesta & illicita sunt, ut, si quis sibi proponat liberalis esse erga pauperes rebus furto, rapinis vel alio modo acquirendis. Ast neque hoc consilium bonum dici potest, aut huc pertinet.

LXXVI. Tertiò rectum consilium dicitur, ubi finis quidem bonus acquiritur honestis licitisque mediis, sed tamen vel nimis tardè, vel nimis celeriter & præcipitanter: & neque hoc consilium dici potest bonum consilium. Ast, quod quartò dicitur rectum consilium, quò quis consequitur bonum finem decentibus mediis & congruo tempore, huc pertinet: Et omne tale consilium rectum est etiam bonum consilium, & contra omne bonum consilium est talis rectitudo consilij.

LXXVII.

LXXVII. Distinguitur *εὐβελία* dict. loc. in abso-
lutè dictam & secundum quid. Quæ distinctio desumpta est
à diversitate finium, respectu quorum dicitur bona con-
sultatio. Cum enim horū alius sit ultimus, alij intermedij,
hinc illa consultatio, quâ consultatur de medijs, quibus
pergere possumus ad ultimum actionum humanarum fi-
nem, dicitur absolutè *εὐβελία*; quâ vero consultatur de
medijs ad particularem aliquem seu intermedium finem
ducentibus, dicitur *εὐβελία* secundum quid.

LXXVIII. Ultimò locò de *εὐβελία* notamus, quod
Don. Acciajol. in comment. ad cap. 9. lib. 6. Eth. Nicom.
monet; eam posse duobus modis sumi: 1. ut sit habitus
quidam, sicut prudentia, & vis quædam quæ sit pars pru-
dentia, vel vis ejusdem, quâ prudens potest bene consul-
tare. 2. pro operatione, sicut Philosophus accipit, quan-
do dicit eam profluere à prudentiâ. Et sic duplici modo
definiri potest. 1. Quod sit habitus, quò quispiam bene
consultare potest proponendo sibi bonum finem & ser-
vando bona media & congruitatem temporis. 2. Si ac-
cipitur ut operatio, definitur ab Aristot. quod sit rectitudo,
quæ secundum utilitatem ad quendam finem spectat, cu-
jus prudentia est vera existimatio, seu, quod sit consultatio
prudens.

LXXIX. Hæc de *εὐβελία*. Sequitur altera Pru-
dentia seu socia seu famula, quæ *σύνεσις* dicitur, & hoc lo-
co non sumitur, prout dividi potest in *εὐτονεσία* καὶ ἀσυνε-
σία, sed prout idem est, quod *εὐσυνεσία* & opponitur ἀσυνε-
σία. *Σύνεσις* autem, unde homines *συνετοί* vocantur, est
ἐξίς τὸ καλῶς κρῖναι περὶ ὧν ἡ φρόνησις ἐστὶ, Aristot. lib. 6. Eth.
c. 10. i. e. est habitus bene judicandi de iis rebus, circa
quas prudentia versatur, sc. de rebus ad totam vitam uti-
libus & necessarijs.

D

LXXX.

LXXX. Disputat de eâ Philosophus cit. loc. an eâ-
dem sit cum scientiâ vel opinione, negatque ideò,
quia hoc modo omnes homines essent *Cueroi*, cum nemo
existat, qui non scientiâ aut saltem opinione aiquâ præ-
ditus sit. Et deinde, si quis dicere velit eam idem esse cum
particulari aliquâ scientiâ, illud itidem falsum esse pa-
teret, quia hoc modo versaretur circa certæ alicujus scien-
tiæ objectum: quod tamen non facit, cum versetur circa
ea tantum, quæ in consultationem veniunt, seu circa res
agendas. Hæ enim, ut rectè fiant, diligenti consilio in-
digent.

LXXXI. Etsi vero *σύνεσις* in aliquibus conveniat
cum prudentiâ, quia utraq; & versatur circa
res agendas, & adquirenda est usu & experienciâ; tamen à
se invicem differunt in eò, quod diverso plane modo ver-
sentur circa τὰ *πραγµατὰ*: prudentiæ enim munus est pro-
posito sine quærere ea, quæ ad talem finem perducunt, &
præcipere, quid sit agendum; *σύνεσις* autem est rectè ju-
dicare de iis, de quibus prudentia deliberavit & præcepit.

LXXXII. Hæc quoque de *εὐσυνεσίᾳ* dicta sint. Re-
stat *γνώμη* seu *εὐγνώμοσύνη*, quæ lib. 6. Eth. c. II. definitur,
quod sit *ἰσθὴν ἡπίους ἢ δεικνῆς*, viri boni & æquum
judicium: quæ definitio ei, ut operationi ab habitu pro-
fluenti competere videtur. Prout autem est habitus, de-
scribi posset, quod sit habitus, qui in viro bono & æquo
est principium judicandi seu quo ipse dijudicat & ignoscit
ut oportet.

LXXXIII. Differt autem *γνώμη* à Synesi, quod hæc
simpliciter de rebus judicat, quales sint, num bonæ an ve-
ro malæ; Illa vero in judicando æquitatem & moderatio-
nem quandam adhibet, & de severitate & rigore juris po-
tius

tius aliquid remittit, quàm, ut ad eam omnia exactè examinet. Habet itaque se *γνώμη* eodem modo ad *σύνεσις*, ut *δικαιοσύνη* ad *δίκαιοσύνην*.

LXXXIV. Respondet porro *γνώμη* seu æquitas, de quâ hic actum fuit, τῇ *δικαιοσύνη* seu æquitati, de quâ lib. 5. agitur, nisi, quod hæc ad appetitum pertineat, illa ad intellectum. Prout enim habitus mentis est seu ad intellectum spectat, rectè judicare facit, quid æquum sit; Ut autem est in appetitu seu habitus morum, proclivem reddit animum ad id, quod æquum est, agendum.

LXXXV. His tribus prudentiæ individuis comitibus Aristot. ultimò locò addit *δευότης*, quæ est vis quædam & aptitudo perspiciendi & agendi ea, quæ ad finem ab appetitu seu rectò seu vitioso propositum consequendum faciunt & perducunt, lib. 6. Eth. c. 12. neque comparatur usu vel experienciâ, sed à naturâ quibusdam hominibus est ingenita.

LXXXVI. Ex dictis apparet nos hâc solertiâ naturali & bene & malè uti posse, adeoque eam pro dissimilitudine scopi, quem respicit, bifariam considerari & in duas quasi partes dividi posse: quatenus enim finem bonum sibi propositum habet, & quoque bona & legitima media, quæ ad eum ducant, investigat, bona est & laudabilis; quatenus vero malum & pravum finem intendit, & sollicita etiam est de malis & illicitis mediis, quæ ad eum ducant, investigandis, mala est & vituperio digna. Prior illa propriè & verè *δευότης* dicitur, & est tantùm in bonis hominibus. Posterior alio nomine *πυργυρία* seu calliditas vocatur, estque non nisi in pravis hominibus.

LXXXVII. Prior illa verè & propriè dicta *δευότης* necessariò requiritur ad prudentiam comparandam & eâ

destitutus non magis intelliget ea, quæ ad prudentiam adquirendam sunt necessaria, quàm quis sine oculo res obiectas cernere potest. Præsupponit autem prudentia hanc naturalem solertiam, sicut habitus potentiam. In quibus enim ea non est, quales sunt naturâ stupidi, illi nunquam sibi comparaturi videntur ipsum prudentiæ habitum; hinc rectè eam Eustath. vocavit *matrem prudentiæ*.

LXXXVIII. Uti vero prudentia in eâ animi parte, quæ contingentia considerat & λογιστικὴ seu practica dicitur, est virtus acquisita; ita δειρότης in eâdem animi parte est quasi naturalis virtus, quam perficit & dirigit prudentia ad invenienda bona media, quibus finis bonus impetretur. Unde liquidò liquet, in quibus consistat diversitas utriusque; nempe Δειρότης naturâ, quibus inest, insita est; prudentia autem non naturâ sed longò usu & experientiâ comparatur. Deinde prudentia non est nisi in bonis hominibus; Δειρότης etiam in malis.

LXXXIX. Hæc est natura & constitutio tam Prudentiæ, quàm ejus specierum, comitum & pedissequarum. Superest jam, ut dubia quædam, quæ moveri solent, proponamus & examinemus. Primo autem loco occurrit, quod Aristot. ipse lib. 6. Eth. cap. ult. ex Platone refert, quod nempe Socrates dixerit omnes virtutes esse prudentias; idque falsum dicit esse, quia hoc modo nulla virtus moralis esset futura, sed omnes forent virtutes διανοητικαί, ut Prudentia. Verum Francisc. Patritius in discussionib. suis peripateticis adfirmat falsam esse objectionem Aristotelis; Socratem enim tantum voluisse eas non posse esse sine prudentiâ. Quicquid tamen de eo sit, Plato & Socrates dextrè candidèque intelle-

At

Si nihil videntur absurdi habere, & facile cum Aristot. conciliari possunt, si nimirum hunc propriè, illos impropriè loqui dicamus. Illi dicunt virtutes esse prudentias non quidem formaliter & essentialiter, quia alia est prudentiæ & singularum virtutū forma, ratio, conditio, & officium; sed ratione dependentiæ & acquisitionis, quia prudentia necessariò requiritur ad acquirendam virtutem moralem, & ratione connexionis, quia ita sunt unitæ virtutes morales cum prudentiâ, ut ab eâ separatæ esse plane nequeant. Quod utrumque etiam concedit & concludit Aristot. dict. lib. 6. cap. ult. & nos etiam ex eo adducemus in seq.

X C. Hinc enim statim oritur quaestio; An ergo prudentia non possit secerni à morum virtutibus? Sane posse secerni videtur inde patere, quod virtutes morales sint in appetitu, & moderationes quædam adfectuum; prudentia autem sit in intellectu, & cum adfectibus nihil habeat commune. Verum etsi ea ita sint, Aristot. tamen rectè statuit, quod virtus moralis nō sit sine prudentiâ, nec hæc sine illâ. Quod ut manifestio reddat, dicit virtutes esse vel acquisitas seu morales vel naturales. Morales vocat perfectos illos virtutum habitus, diligentis & assiduo nostro studio, usu & exercitatione comparatos, à quibus homo simpliciter & absolutè dicitur vir bonus; Naturales vero naturales quasdam propensiones, & inclinationes ad virtutes morales, à quibus aliquis non simpliciter sed tantum secundum quid dicitur bonus. Iam quando dicitur, prudentiâ & virtutem moralem non posse à se invicem separari, sed semper simul esse, intelligi id vult de virtute acquisitâ seu *virtute*. Naturales enim, etsi & ipsæ sine prudentiâ in veras virtutes perfici, aut veras actiones virtutū edere nequeant;

D 3

actu

actum tamen à prudentiâ separari possunt, cū in pueris prius liberalitatis aut alterius virtutis semina se exserant, quam prudentiæ. At vero virtus proprie dicta seu moralis & prudentia actu semper simul reperiuntur. Cum enim virtutis moralis sit, rectè nos erga finē honestū disponere, prudentiæ vero modū in rebus agendis invenire, & in mediis ad finis consecutionem facientibus nos dirigere, ex quibus demum perfecta virtutis actio oritur, patet, neque virtutes morales sine prudentiâ, neque hanc sine illis esse posse. Unde etiam hoc perspicitur, quare prudentia moralium virtutum commune vinculum dicatur.

XCI. Deniq; illa quaestio agitatur; num prudentia sit præferenda sapientiæ; an vero contra sapientia prudentiæ sit anteponenda? Hic in diversa abeunt, aliis hujus, aliis illius partes defendentibus. Nos labore argumentorum, quæ pro utriusque nobilitate & eminentiâ adferuntur, adducendorum supersedentes statuimus sapientiam utrique multò nobiliorem esse prudentiâ. Etsi enim prudentia respiciat bonum & quidem non tam proprium, quàm commune seu publicum, ac sola principes formare, condere leges, ac humanum genus regere & moderari videatur, tamen præter ea, quod sapientia est in nobiliore parte animæ, quàm prudentia, & versatur circa nobiliora objecta, quæ sunt divina, æterna & necessaria, etiam habet finem nobiliorem, cum, uti Ficinus in 1. de Rep. Platonis loquitur, & ex eo Andr. Duod. lib. 5. de habitib. intellect. cap. 8. *quantò oculus præstat manibus, caput pedibus, ratio sensibus, anima corpori, tanto vita contemplativa præferatur activa, & per consequ. etiam sapientia prudentiæ.*

XCII. Cæterum non est fortassis tanti, ut in eâ re
simi-

similibusve quæstionibus nimis scrupulose agitandis ulterius laboremus: majus omnino pretium operæ facturi, si unusquisque hoc sedulo agat, ut non virtute tantum & prudentiâ quam instructissimus evadat; verum etiam conetur, quatenus licet, *immortalem se reddere, omniaq; efficere, ut ex præstantissimo omnium, quod in ipso est, vitam traducat; nam licet id mole sit parvum: vi tamen & pretio omnia longo intervallo excellit, lib. 10. Eth. c. 7.* Quibus Philosophi verbis, notatu sane dignissimis, nostram dissertationem obsignamus.

F I N I S.





similibus quibus nimis tenuibus
terribiliter usque in fine
si unquam hoc sedulo est
prudentia quam in se habet
nec, quatenus licet, temporibus
vere, ne ex parte ista omnino
dicit: nam licet in parte
sunt longo inter se excelsa, h. c. 7. Quibus
solum verbis notam sane dignissimam
dissertationem obligamus.

F I N I S









EXERCITATIO PHILOSOPHICA ¹⁸
DE
PRUDENTIA
Q V A M
D. O. M. A.
SUB PRÆSIDIO
ANDREÆ FRÖLINGII
OPT. ART. ET PHILOS. MAG.
LOGICES PROFESSORIS
ORDINARIII
IN ILLVSTRI IVLIA
Exercitiij gratia publicæ disquisitioni
exponet
JOHAN CONRAD LUBBREN
HAMELENSIS
A. & R.
IN MAIORI NOVI IVLEI AUDITORIO
Addiem Octobris.

✻(o)✻
✻
HELMESTADII,
Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI

Anno cl^o l^o cLIX.

